411\. De ſua dilecta anima ſancta canit ſponſus, *Collum tuum ſicut monilia.* Cantic. 1. num. 10. D. Nyſſenus, legit, *collum tuum ſicut torques.* Ad elegantiam, ac pulchritudinem ſponſæ ſat erat quòd uno monili eſſet exornata, ad quid multiplicibus inſignita decantatur? ſi enim uno ſolo monili condecorata appareret, laus eſſet inutilis, eò quòd non idem haberet teſtimonium in cæteris virtutibus; nunc autem aſſimilatione multitudinis torquium teſtimonium omnium virtutum laus ejus comprobatur, ac declaratur. D. Nyſſenus homil. 3. in Cantic. *Eſt hoc quoque conſilium*: ait, *quod à Verbo præbetur toti Eccleſiæ, non oportere nos ad unum aliquod bonum aſpicientes, in cæteris rectè factis eſſe negligentes: ſeu ſit tibi monile temperantiæ, veluti quibuſdam margaritis, pura vita in collo reſpondens, ſit tibi aliud monile, quod pretioſas gemmas præceptorum in ſe contineat.*

Cant. 1.

Anima ſancta non una ſed multiplici virtute ornatur.

D. Nyſſen.

QUÆSTIO XLVII.

Ob quod motivum iſte emens aurum inducitur veſtibus, non cujuſcumque coloris, ſed tantùm albis, & quænam erit menſura ſeu longitudo talium veſtium?

412\. TRia in hac quæſtione quæro. Quare hæc indumenta ſunt albi coloris, & non alterius? Secundò, quænam eſt menſura, ſeu longitudo harum veſtium. Tertiò, quodnam motivum ad tale indumentum?

413\. Primò quæro, quare hæc veſtimenta dicuntur alba, *ut veſtimentis albis induaris.* Cur non erunt violacea, aut hyacintina, aut alterius coloris? Reſpondet Albertus Magnus: *Alba dicitur charitas; quia peccatorum maculam, aut aliquam duplicitatem habere non novit.* Quia charitas, quæ operit nigredinem peccatorum, expers omnino eſt totius maculæ, ac notæ, nullamque tincturam, ac duplicitatem admittit, ſed cuncta in ſua nativa ſimplicitate tenet, ac conſervat; & inde juſti & puri dicuntur *amicti ſtolis albis*, Apoc. 7 n. 9.

Albertus.

Juſtus ſine macula, ac duplicitate.

Apoc. 7.

414\. Secundò quæro in his veſtimentis, quænam erit eorum menſura, ſeu longitudo? Hoc nobis non exprimitur, ſicut ejus color declaratur, ac proinde à nobis eſt inquirendum, an hæc veſtis eſſet ſtricta, vel longa uſque ad talos demiſſa? Ita affirmat D. Bernard. Senenſ. in præſenti. *Debent ergo* ait, *hæc veſtimenta eſſe alba per candorem innocentiæ, longa ratione perſeverantiæ.* Rectè hæc indumenta ſunt talaria, & longa, quia cùm per has veſtes denotentur virtutes, rectè longæ uſque ad pedes dicuntur: qui non ſatis eſt animam virtutibus indui, ſed in eis perſeverandum eſt uſque ad finem; quæ perſeverantia per longitudinem harum veſtium uſque ad pedes ſignificatur. Vide quæ dixi de veſtitu poderis cap. 1. q. 48. n. 375. 376. 377.

D. Bernard. Senenſ.

Perſeverantia in virtutibus neceſſaria.

415\. Tertiò quæro quodnam eſt motivum, ob quod huic Epiſcopo ſuadetur, ut induatur veſtibus albis? Reſpondeo quod ratio in ipſo textu declaratur *Ut non appareat confuſio nuditatis tuæ.* Vel ut alii legunt, *ne appareat dedecus; ſeu fœditas nuditatis tuæ.* Alcazar exiſtimat, quòd tantùm veſtimenta alba perſuadentur huic Epiſcopo, quia volebat Dominus eum admittere ad ſuam cœnam Euchariſticam, ut dicitur infra verſ. 20. *Introibo, & cœnabo cum illo*, & idem omni virtutum ſupellectili erat exornandus. De quo infrà, & maximè, quia, ut multis probat Sherlogus tom. 2. in Cantic. veſtig. 2 c 1. verſ. ſect. 7 n. 95. conviviis nonniſi candida veſte indutos, convivas accubuiſſe; quod confirmat ex illo Eccleſiaſt. 9 n. 8. *Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum.* Et ſubditur; *omni tempore ſint veſtimenta tua candida.*

Alcazar.

Sherlogus

In convivio veſtes candidæ.

Eccl. 9.

416\. Tamen maximè proprius ad litteram dicitur; quòd his veſtimentis albis induatur, *ut non appareat confuſio nuditatis tuæ*, id eſt, ut anima tua exornetur bonis operibus ac virtutibus, quæ per illa veſtimenta denotantur; & qui talibus operimentis caruerit, tunc apparebit ejus nuditas ac confuſio peccati, qua anima maximè deturpatur.

Anima virtutibus ornatur.

417\. De anima ſancta omnibus virtutibus ornata cantat dilectus ſuus. *Odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris.* Cant. 4. n. 11. Cur fragrantia veſtimentorum illius, non cum alio odore confertur, niſi tantùm cum odore thuris? cur non potiùs cum balſamo, vel cinnamomo, vel alio odoramento, ſed tantùm cum odore thuris, cùm ſint alia odoramenta pretioſiora? Thus uni Deo, ac ejus obſequio eſt dedicatum; veſtimenta autem actiones, & operationes animæ indicant ut jam dixi. Et notat D. Greg. Nyſſenus homil 9. in Cantic. Hinc pro magna gloria ſponſæ dicitur: *Odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris*; quia omnes ejus actiones, & operationes erant conſecratæ, ac dedicatæ Dei cultui, & obſequio. Nam his maximè anima exornatur, & antiqua fœditas peccatorum cooperitur, & charitas in futurum augetur. Philo Carpatius ad citatum Cantic. locum *Per veſtimenta ſponſæ*, ait, *ſancta opera deſignantur, quibus vel præterita mala teguntur, vel innocentia conſervatur, & augetur; non enim ſatis eſt, mala non agere, niſi & bona peragamus. Prima pars juſtitiæ eſt, mala devitare, & vitia fugere, ſecunda verò bona, ac juſta ſanctáque patrare, quibus jure bonitatis amatores eſſe judicemur.*

Cantic. 4.

D. Nyſſen.

Ornamenta animæ ſanctæ operationes.

Philo Carpatius.

418\. De ſuo habitaculo celebrat ſponſa: *Tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina.* Cant. 1. n. 16 Optimo jure ambiges, cur cedrus, ac cupreſſus eliguntur ad componendum tectum domus animæ ſanctæ: cur non potiùs aſſumitur pinus, vel quercus, ſeu aliud lignum, quod valde frequenter ad conſtituendam regalem domum adhibebitur; cur ergo cedrus, & cupreſſus? Hæc duo ligna præterquam quòd ſint odorifera, imputribilia ſunt, & inde ſignificant odorem virtutum, quibus anima ſancta tegitur, operitur, ac componitur perpetuâ ac ſtabili firmitate D. Greg. Nyſſen. hom. 4 in Cant. *Tectum imponit domus ornans per materiam quæ nequit putreſieri, talis eſt autem Cedrus & cupreſſus, quarum virtus, quæ ineſt lignis, eſt potentior quævis cauſa putrefactionis, non tempori cedens, non tineas procreans.* Et poſt pauca ſubdit. *Opus eſt nobis hujuſmodi trabibus, quæ autem ſunt virtutes.*

Cantic. 1.

Anima virtutibus cooperienda.

D. Nyſſen.

QUÆSTIO XLVIII.

Quare Laodicenum Antiſtitem hortatur Dominus, ut collyrio inungat oculos ſuos.

419\. FOnti malorum vult Dominus remedium adhibere, niſi altè monet cordis oculos collyrio inungendos. Collyrium pharmacum oculorum eſt, præſertim lippitudine laborantium. Componitur ex ſaccharo, & aqua roſacea & tutia, quæ eſt ſpuma ſubnigra argenti, quæ in argenti fodinis reperitur, & ab ea collyrium nigrum eſt, ac mordicans, & pungens inſtar argenti, & arenæ: Ex oculis ergo corporalibus vult Dominus nos tranſire ad oculos ſpirituales cordis, ad quod nos hoc metaphorico remedio collyrii exhortatur, relinquens amplum campum Doctorum Expoſitionibus.

Collyrium quodnam pharmacum;

420\. Primò, Victorinus, Primaſius. Ansbertus, Beda, Richardus, D. Gregor. 1. part Paſtorali cap. 11. per collyrium intelligunt conſiderationem, ac obſervationem mandatorum, ac legis divinæ. Sic ait. D. Gregor. *Collyrio oculos inungimus, ut videmus, cum ad cognoſcendam veri luminis claritatem, intellectus noſtri acumen medicamine bonæ operationis purgamus.* Ansbertus. Intellectus bonus omnibus facientibus eum, Pſalm. 110 num. 10. *Adhibe divinæ præcepta ad mentem cæcam, quatenus virtutum nuditatem, quam pateris, videas? niſi enim quoddam eſſent collyrium divina mandata*, non diceret Regius Vates Pſalm. 18. num. 9. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos, id eſt ſenſus noſtros. Collyrium per amaritudinem ſuam, oculos, id eſt ſenſus noſtros purgat; præceptum Domini per terrorem ſuum ſenſu elucidat, collyrio clarificantur oculi ad videndum ſolem, præcepto Domini ſenſus noſtri per ignorantiam priùs clauſi, liniuntur, & ad ſupernæ claritatis fulgorem intuendum aperiuntur.*

Prim. Beda. Richard. D Greg.

Dei lex, ac mandatum illuminat mentem.

Pſalm. 110.

Pſalm. 18.

421\. Secundò, Andræas Cæſarienſ. *Nam ſi dona videntium oculos excæcant, omnino contemptus munerum hos aperiet.* Munera, vel lucra temporalia oculos mentis ſuperiorum, ac Prælatorum excæcant. De ſe ait Propheta Balaam: *Dixit homo, cujus obturatus eſt oculus.* Num. 24. n. 3 Et unde ejus oculus erat impeditus, ac clauſus? acceptis nempe muneribus, ac precibus à Rege Balac. Huic autem cæcitati nullum remedium aptius invenitur, quam collyrium, quo oculi clariſſimè aperiantur, ut videant parvitatem temporalium, ut inde deſpiciantur, & contemnantur ipſa temporalia.

Andr. Cæſ.

Temporalia

422\. Tertiò, collyrium eſt tribulatio. Albertus Magn. *Collyrium eſt tribulatio, quæ per ſui amaritudinem mentem illuminat.* D Laurent. Juſtin. lib. de caſto connubio cap 3. *Fellis collyrio inungenda eſt mens, ut rectè videat, manuque tentationis erigenda eſt, ne pereat.* Collyrium eſt maximè pungens, & mordax; quomodo ergo eo tenerrimi oculi inungentur; quia quo magis amara eſt tribulationis, ac tentationis medicina, eò magis proficua, ac ſalutifera, ut mentem illuminet. Nam, ut dicitur Iſai. 28. n. 19. *Vexatio dabit intellectum* Thren. 1. num. 13. *De excelſo miſit ignem* (ſcilicet tribulationis, ac preſſuræ) *& erudivit me.* Unde infrà cap. 8. q. 16. n. 162. 163. 164. 165.

Alb. Magn. D. Laur. Juſt.

Tribulatio aperit mentem, & dat cognitionem.

Iſai. 28.

Thren.

423\. Quartò, Albertus Magn. *Collyrio pœnitentiæ*, ait, *inunge oculos tuos; ut intellectus purgetur ab errore, vel ignorantia, & ab effectu culpæ, ut videas tua peccata, & Dei beneficia.* Cur pungenti ac mordaci collyrio inungendus eſt oculus hujus Epiſcopi, ut videat? Iſte Epiſcopus ſe gloriabatur divitem, ac locupletem, & nullius indigentem, cùm eſſet miſer, miſerabilis, ac cæcus; ideò pungenti, ac mordaci pœnitentiæ medicamine indiget, ut oculi ejus aperiantur; & videat malitiam ſuorum peccatorum, ut ſic illa deteſtetur, ut ad Deum veniens, ejus beneficia gratificetur. S. Iſaac Presbyter lib. 1. de mundi contemptu: *Pœnitentia*, ait, *eſt navis, timor verò gubernator ejus, charitas portus divinus: facit ergo timor nos ſedere in navi pœnitentiæ, & tranſportare mare mundi fœtidum, & ad portum divinum, qui eſt charitas, nos perducit.*

Alb. Magn.

Pœnitentia facit, ut homo cognoſcat ſua peccata

S. Iſaac.

424\. Quintò Haymo: Per collyrium ait quod de terra naſcitur, ſignatur Chriſtus, qui de terra, id eſt de Virg. Maria eſt natus: Collyrium etiam aufert ab oculis pulverem: ſic Chriſtus terrenorum amorem. Collyrio ergo inunguntur oculi, quando per paupertatis Chriſti conſiderationem amor terrenorum expellitur.

Haym.

Paupertas expellit humorem terrenorum.

425\. Sextò. Albertus Magnus, Viegas. *Collyrium, Paſſionis Chriſti memoria, quæ oculos mentis illuminat*, ad alta, & divina myſteria intelligenda. Poſt Reſurrectionem apparuit Chriſtus D. ſuis Diſcipulis, & manducavit cum eis partem piſcis aſſi, ut narrat D Lucas 24. n. 42. *Tunc*, ut ſcribit ipſe Evangeliſta num 45. *Aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas.* Cur manducatur prius piſcis aſſus antequam mens illuſtretur ad Scripturas intelligendas? Piſcis aſſus eſt Chriſtus paſſus, ut inquiunt Beda, Hugo: & ait, *Chriſtus fuit in paſſione aſſatus in ara Crucis igne tormentorum, & dolorum.* Ut dixi tom 5. in Evang. lib. 9. c 4. quæſt. 11. n. 68. Inde ergo antequam Apoſtolorum mens aperiatur ad intelligentiam Scripturarum, priùs manducatur piſcis aſſus, quia memoriâ, ac repræſentatione Paſſionis Chriſti, mens aperitur, & illuſtratur ad Scripturas, ac ſacra myſteria penetranda.

Albert. Viegas.

Memoriâ Paſſionis mens illuſtratur ad intelligenda myſteria divina.

Luc. 24.

Hugo.

426\. Septimò. Fides collyrium animæ eſt Cælius Pannonius. *Collyrium*, ait, *eſt verbum Fidei. quod quoties menti imponitur, ſanguis carnalis intelligentiæ ab ea removetur, fæces tolluntur errorum.* Magnum vitium eſt cæcitas, non tantùm carnis, ſed potiùs mentis, utpote, quo ergo medicamine tam dirus morbus eſt expellendus, & perfectus habendus eſt intuitus? collyrio nempe fidei hoc abiguntur errorum tenebræ, & anima verâ agnitione illuminatur; ſic cùm Paulus ad fidem converteretur, *ceciderunt ab oculis ejus tanquam ſquamæ, & viſum recepit.* Actor 9 n. 18.

Pannon.

Fides illuminat oculos mentis.

Act. 9.

427\. Octavò, collyrium eſſe continentiam docet D. Bonav part. 3. de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 2. *Hæc enim*, ait, *eſt omnis turpitudinis concupiſcentiæ purgativa, & cæcitatis, ac caliginis ſpiritualis abſterſiva.* Sicut libido corrumpit affectum, & mentem cæcat, ac obtenebrat, ut patet in Samſone Iud. 16. n. 21. ſic caſtitas, ac continentia illuminat.

D. Bonav.

Caſtitas expellit cæcitatem, & dat lucem.

Iud. 16.

428. Nonò, Cardinalis Vitalis ſpeculo Scripturæ Sacræ, titul. Contemplatio. *Lacrymis mundatur oculus interior, ut Deum ſpeculetur:* Apocal. collyrio inunge oculos tuos, ut videas *Sic enim oculus recuperat ſanitatem, ut videat, & experitur Dei ſuavitatem, ut videat. Maria* Joan. 20. n. 14. *ſtabat ad monumentum foris plorans, & dum fleret, converſa eſt retrorſum, & vidit Ieſum ſtantem.* Lacrymæ ſunt tanquam collyrium, quibus purgantur oculi mentis ad cœleſtia contemplanda; ſic Magdelenæ oculi lachrymis expurgantur ut Jeſum videant, & agnoſcant.

ital.
Lacrymæ expurgant oculos ad cœleſtia videnda.
Joan. 20.

429. D. Anſelm. Strab. Lyran. Hugo.
Decimò, D. Anſelm. Strab. Lyran Card. Hugo dicunt, quòd per collyrium intelliguntur divina gratia, ac dona Spiritus ſancti, quæ duos mentis oculos, intellectum nempe & affectum illuminant. Si verò objicias, quod dicitur, inunge oculos tuos: Reſpondet Lyran: quia licèt gratia ſit à ſolo Deo data, tamen ad illam per ſuam voluntatem poteſt ſe homo ex Dei auxilio præparare, & diſponere.

430. D. Bern.
Undecimò, D Bern Senenſ Tom. 3. ſermo 3. qui eſt de emenda charitate divina in 2. p. principali. *Inunge collyrio oculos tuos; nam collyrium eſt pulvis, ex quo cum oleo ſimul mixto fit unguentum, quo ungentur oculi, & clareſcit viſus,* Primus pulvis ejus veræ *cognitionis eſt*; Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris, *quaſi dicat, fac me recordari, quia ſum pulvis, & in pulverem revertar, & hoc habeo viliſſimum in me.* Suades Dominus Epiſcopo, ut ungat oculos collyrio, nempe pulvere, ex quo homo eſt compoſitus, & in quem reſolvendus; & hic pulvis eſt optimum medicamentum, ut expungentur oculi ab humore rerum temporalium, & videant ſibi neceſſaria, & ſalutaria. Ex conſilio Archangeli Raphaëlis junior

Tob. 11.
Tobias, *ſumens de felle piſcis linivit oculos patris ſui.* Tob. 11. n. 13. Cur ad hoc miniſterium eligitur potiùs fel, quàm cor? nam magnum miraculum edendum erat, ſiquidem viſus ei reſtitutus eſt, cor autem pars eſt nobilior: cur ergo ad tantum opus non ipſa pars nobilior deſtinatur, ſed fel, quod eſt quid inferius? Cur, cùm ſit principium vitæ temporalem vitam denotat, & fel ob ſui amaritudinem mortem 1. Reg. 15. n. 32. & ſic dicitur fel amatæ mortis, ad viſum oculorum reſtituendum non applicatur cor, ſed fel; quia repræſentatione temporalium excæcatur oculus, figurâ autem, & typo mortis illuminatur, ut videat, & penetret lumen Cæli & ſibi neceſſariis.

1. Reg. 15.
Pulvere mortis illuminantur oculi.

431. Duodecimò, & maximè ad literam exiſtimo, quòd collyrium, de quo hîc eſt ſermo, ſit cognitio ſui ipſius, ac recta examinatio, ac præponderatio ſuarum actionum; nam hic Epiſcopus Laodicenſis maximè laborabat ſui neſcientiâ, nam multâ arrogantiâ, ac jactantiâ habebat ſuos oculos obcæcatos, dicebat ſe eſſe divitem, locupletem, ac nullius egentem, cùm revera eſſet *miſer, miſerabilis, pauper, cæcus, & nudus*; & ideo in tanta tepiditate jacebat. Perſuadetur ergo ad proportionatum medicamentum ſuæ infirmitati, ad ſui nempe cognitionem ac advertentiam, qua oculus mentis ejus purgabitur ab humore nocivo ſuæ arrogantiæ ac tepiditatis & ita per ſui demiſſionem, ac humilitatem intelliget & cognoſcet ſuam paupertatem & nuditatem, ac dona quæ à Deo ſunt. Ita Primaſius, Richard D. Laurent. Juſtinian.

Cognitio ſui ipſius optimum medicamentum ad vera cognoſcenda.
Primaſ. Richard. Juſtinian.

lib. de caſto connub. cap. 6, Rupertus Abbas in præſenti; & ait: *Collyrio inunge oculos tuos, ut videas, id eſt, cor tuum vera humilitate purifica, ut per paupertatem tuam videas, veraſque divitias bonitatis Dei agnoſcas.* Rupertus.

342. Dicitur Proverb. 24. num. 16. juxta Catenam Græcam Caſſian. collat. 22. ac alios. *Septies in die cadit juſtus, & reſurgit.* In quo duplex eſt difficultas; ſi cadit, quomodo juſtus? & cur potiùs dicitur cadere in die, quàm nocte, quando tenebrarum obſcuritates homines ad peccata invitant? cur ergo dicitur cadere potiùs in die, quàm nocte? ſi cadit in die, id eſt cum ſui cognitione, & ſe ipſum, ſuumque lapſum cognoſcat, cadit ut juſtus; quia ex ſua cognitione ſui ipſius, ac ſui lapſus ſe ipſum excitabit, ut citò reſurgat, & à peccati fœditate, ac horrore ſe ipſum immundet D. Bernard. ſerm. 17. in Cantic. ſic ait. *Septies in die cadit juſtus, & ſepties reſurgit, inquit, reſurgit, ſi tamen cadit in die, ut ſe cadere, & cecidiſſe ſciat.* Perpende ultima verba:

Prov. 24. Cat. Græc.
Qui cognoſcit ſuum caſum, citò reſurgit.
D. Bernard.

433. Paulo datus eſt Angelus Sathanæ, qui eum colaphizet, à quo ſe petit liberari vir Sanctus, nec obtinet, dicitur enim ei, *quia virtus in infirmitate perficitur.* 2. Cor. 12. num. 9. Seu illuſtratur, ſeu glorioſior apparet. In infirmitate virtus illuſtratur, hoc videbatur potiùs dicendum in fortitudine, ac robore, nam in infirmitate virtus cadit, in robore firma ſtat, & perſeverat; tamen optime dicitur; *Virtus in infirmitate perficitur.* Qui quando alicui, ne erret, ante oculos obſervatur ſuæ naturæ infirmitas, qualis erat Apoſtolus, & ideo poſtulabat ab illo ſpiritu liberari; inde fit maxima virtutis accretio; cùm enim ſuam debilitatem inſpicit maximè in humilitatem venit, & ad Dei opem confugit. D. Irenæus lib. 5. *Voluit Dominus*, ait, *Apoſtolum ſuum ſic colaphizari, talem ſuſtinere infirmitatem, etiam dicit Verbum: virtus in infirmitate perficitur, meliorem efficiens hunc, qui per ſuam infirmitatem cognoſcit virtutem Dei. Suam enim infirmitatem diſcere per ſuſtinentiam nihil eſt malum; magis autem bonum eſt, non aberrare in natura ſua.*

2. Cor. 12.
D. Irenæus.

Quæstio XLIIX.

Collyrium, quo inungendus eſt oculus, ut videat, explicatur de Divina Euchariſtia.

434. ITa ſentit D. Bernard. Senenſ. tom. 5. ſerm 12. qui eſt quartus de Sacratiſſima Euchariſtia. *Quid per hoc collyrium*, ait, *ex pulvere, & aqua confectum, niſi hoc Sacramentum convenientiùs deſignatur? Quod ex aqua divinitatis, & pulvere noſtræ humanitatis, per verbum aſſumens naturam humanam, ad illuminationem gentium, per acrimoniam paſſionis olim confectum eſt: nunc verò in conſecratione conficitur atque commemoratione ejuſdem in Sacra Communione, & devota Miſſæ auditione, mentis oculi inunguntur, & expurgantur, ut virtus ejus, gratiæ lumen in Eccleſia quotidie operetur.* Ex terrenorum affectu, quædam obſcura caligo,

D. Bernard.
Euchariſtia oculos illuminat.

caligo, ac albugo gignitur in oculis noſtris, ideò devotè Euchariſticum Sacramentum ſumendum eſt; nam hoc ſalutifero collyrio mens expurgatur à terrenis, & oculi mentis clarificantur, ac illuminantur ad cœleſtia perſpicienda, & agnoſcenda.

435. Num 11.
Pro quo maximè facit illud, quod de manna refertur Num. 11 n. 1 ubi dicitur: *Erat autem Man, quaſi ſemen coriandri, coloris bdellii*, ubi noſter vulgatus habet, *coloris bdellii*, vertunt alii ex Hebræo, *Et oculus ejus*, ſive *oculus bdellii*. Ex quo infert Lorinus ibi, *Mana quoſdam habuiſſe ocellos*, ſive *ocellatum fuiſſe.* Quid ergo tot oculi ſignificabant in Manna? Nihil quidem in Manna, ſed in eo quod figurabatur in Mana, Sacra ſcilicet Euchariſtia; quia ſi in ea clauduntur oculi terreni, aperiuntur Spirituales ad alta, ac ſublimia perſpicienda. Sic dixit Petrus Bleſenſ. lib. de Panibus. *Cæcitas oculorum noſtrorum, & apertio eſt interioris.*

Hebræ. Lorinus
Euchariſtia illuſtrat oculos mentis.
Bleſenſ.

436. D. Chryſipp.
Elegantiſſimè D. Chryſippus ſerm. de laudibus Virg. Mariæ, Sacram Euchariſtiam appellat Cœnam lucis. Nam hæc ſacra cœna expellit tenebras, & cunctis dat lucem, & ſplendorem. Meritò notat Anaſtaſius Epiſcopus Nyſſen. q. 95. in Script. Sacram, quod hoc divinum Sacramentum luna decima quarta fulgente fuerit inſtitutum. Cujus rei ea eſt ratio; quia dum luna eſt decima quarta, totus mundus eſt in luce, & tenebræ undequaque depelluntur: Hemiſpherium enim noſtrum lumine lunæ plenæ integer illuminatur; alterum nempe Antipodum, ſole fulgente per totum reſplendet: tale ergo tempus ad inſtitutionem hujus Sacramenti eligitur, quia virtute illius tenebræ erant diſſipandæ, undique vera lux in mundo introducebatur.

D. Anaſtaſ.
Ab Euchariſtia totus orbis illuſtratur.

437. Nota tamen, quòd antequam hic Epiſcopus excitetur, ut oculos inungat Euchariſtico collyrio; priùs ei ſuadetur, ut emat aurum ignitum, & probatum; ac ut veſtibus albis induatur, hoc eſt antequam ad Euchariſtiam accedat, ut omni virtute exornetur. Ait Regius Vates Pſal. 22. n. 5. *Paraſti in conſpectu meo menſam.* Quod de Sacra Euchariſtia intelligit bona pars Doctorum. Tamen antequam hæc Sacra menſa dicatur ante ipſum poſita, præmiſit Propheta: *Deduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ*; hoc eſt, omni juſtitia, & ſanctitate me implevit. Sic interpretatur Euthym. & ait: *Per juſtitiam illam univerſalem juſtitiam intelligitque omnes virtutes amplectitur; per ſemitas verò alias particulares virtutes.* Ac ſi dicatur, quòd plùs omni virtute eſt imbutus, & tunc poſtea Euchariſtica menſa in conſpectu ejus eſt poſita, aliter ad illam non valebat occidere.

ornatus.
Euth.

Apoc. 3. *n.* 19. Ego, quos amo, arguo, & caſtigo: æmulare ergo, & age pœnitentiam.

VERSIONES.

Aretas. Ego quoſcumque amo, arguo, & erudio etiam.

Arabicus. Nam unumcumque diligimus, eundem corripimus, æmulare igitur, & quare pœnitentiam.

Multi ex Gr. Ego quos amo, convinco

Syrus. Æmulus ergo ſis, & reſipiſce.

Tygurin. Æmulare ergo, & reſipiſce.

EXPOSITIO XIV.

438. ASPERITATEM verborum ſuæ apprehenſionis, qua Dominus uſus fuerat erga hunc Epiſcopum, quòd nec erat frigidus, nec calidus, ſed tepidus, & inde quod inciperet eum evomere, quod erat miſer, miſerabilis, nudus, & pauper & quod collyrio inungeret oculos ſuos, nunc Dominus temperat, & mitigat dicens, *Quos ego amo, arguo, & caſtigo.* Ac ſi dicat, ergo hæc monita accipe quaſi argumenta amantis animi, ut revera ſunt. *Ego quos amo*, tanquam filios, amicos, ac diſcipulos, *arguo*; ſeu corripio. *Et caſtigo*, eorum pueriles mores: Nam ubi nos habemus; *caſtigo*, Radix Græca, ut notat Ferrarius habet verbum, quod ſignificat corrigere puerum; ut Pater caſtigat Filium, Magiſter Diſcipulum

Græc. Ferrar.

439. *Æmulare ergo.* Id eſt, arde zelo, totis viribus procura, ac contende, ſis unus ex illis, quos ego, quia eos amo, arguo, & caſtigo. Et ut ego ita me geram tecum; ſicut me gero cum illis, quos amo, & ad hoc tibi aſſigno medium conveniens ac proportionatum: *Pœnitentiam age*; nam per pœnitentiam meum amorem impetrabis. Et hæc interpretatio, etſi videatur nova, tamen genuina eſt, ut magis explicabo infrà.

Quæstio L.

Quare Dominus, quos amat, arguit & caſtigat?

440. AIt Dominus, *quos amo, arguo, & caſtigo.* Arguit verbis & reprehenſionibus, caſtigat verò laboribus tribulationibus; non vero cæteros; Maximè ſed quos amat, caſtigat tanquam domeſticos ad emendationem, ut pater filium juxta illud Hebr. 12. n. 6. *Quem diligit Dominus caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit? Tanquam filius vobis offert ſe Deus.* Alios vero arguit, & caſtigat ut extraneos ſive inimicos ad perditionem, & condemnationem. De quibus ait Jerem. 30. n. 14. *Plagâ inimici percuſſit caſtigatione crudeli.* Ac proinde illud, *quos amo* eſt diſtinctivum, ac partitivum illorum, quos Deus ut Filios, ac Domeſticos habet, ab his quos non diligit ut ſuos, ſed ut extraneos negligit, ſive ut inimicos odit.

Suos caſtigat Dominus ut pater ad emendationem.
Jerem. 30.

441. Quæſtio eſt; quomodo dicat Dominus: *quos amo, arguo, & caſtigo.* Nam amor totus blandus, totus tener eſt, & valde delicatus, & quibuſlibet dilecti injurioſis acerbè feritur: ſic ait Dominus Zach. 2. n. 8. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Quomodo ergo ait Dominus, quos amo, arguo & caſtigo; nam ut ait D. Gregor. Nazianz. *Benevolentia illex eſt humanæ naturæ acerbitas adverſatrix hominum eſt.*

Zach. 2.
D. Nazianz.

Reſpon